

nom. c. 4. §. 1. ait : *quemadmodum sol ille noster non cogitatione aut voluntate, sed eo ipso quod est, illuminat universa quæ quoquomodo lucis ejus sunt capacia: sic ipsum Bonum... ipsamet substantia sua, rebus omnibus, pro cuiusque captu, totius bonitatis suæ radios affundit; ergo.*

R. D. A. Deo æqualiter effective est cura de omnibus, h. e. æquale bonum sive naturæ sive gratiæ vult et procurat omnibus N. æqualiter affective, quantum præcise attinet actum intellectus et voluntatis, qui in Deo est unicus C. S. THOMAS p. 1. q. 20. a. 3. ad 1. ait : *Dicitur Deo æqualiter esse cura de omnibus, non quod æqualia bona sua cura omnibus dispenset, sed quia ex æquali sapientia et bonitate omnia administrat. Cæterum distinctio amoris divini constat ex S. AUG., qui Tr. 110. n. 6. in Joan. inquit : cum eorum quæ fecit (Deus) nihil oderit, quis digne possit eloqui, quantum diligat membrum Unigeniti sui; et quanto amplius ipsum Unigenitum, in quo condita sunt omnia visibilia et invisibilia, quæ in suis generibus ordinata ordinalissime diligit.*

Ad prob. Disparitas est ex D. THOM. ibid. ad 3.; quia intelligere et velle significant solum actus, nec in significatione sua includunt objecta, quorum diversitate possit dici Deus magis vel minus scire aut velle: amor autem Dei duplici modo sumi potest, scilicet vel ex parte ipsius actus voluntatis; et sic Deus non magis amat quædam aliis, quia omnia amat uno et simplici voluntatis actu: vel ex parte boni, quod quis amato vult; et sic Deus magis amat prædestinatos.

Ad Conf. 1^{am}. R. D. A. Deus antecedenter vult omnes salvos fieri C. vult consequenter N. Dilectio autem ista major sicut prædestinatio, ad voluntatem Dei consequentem pertinet.

Ad Conf. 2^{am}. R. D. A. Sicut sol lumen, ita Deus suam bonitatem communicat in providentia generali et communi C. in speciali N. Ita S. THOM. p. 1. q. 23. a. 4. ad 1.

218. Obj. cont. 3^{am}. Ad hoc ut quis actu salutem consequatur, prædestinatio proprie dicta non est necessaria; cum alias qui non sunt prædestinati non haberent ex parte Dei omnia necessaria ad salutem, nec possent salvari; ergo imprimis possunt salvari non prædestinati. Deinde reipsa neminem salvari nisi prædestinatum, neque est expresse revelatum, neque etiam colligitur ex effectibus; cum potius multi videantur salvari cum sola communi et ordinaria providentia gratiæ; ergo. Conf. 1. Angeli sancti translati sunt ad vitam æternam sine prædestinatione; ergo et homines non prædestinati salvantur. Conf. 2. Matth. 22. habetur: *Erunt novissimi primi, et primi novissimi*, h. e. postremum locum tenebunt qui vocati sunt et non electi, alter eorum qui vocati simul et electi sunt.

R. 1^o. Ad 1^{am}. D. A. Prædestinatio proprie talis non est necessaria per se absolute ac simpliciter C. non est necessaria ex parte Dei ad convenientem vel perfectum operandi ac intendendi modum N.

R. 2^o. Tr. totum, quia assertio nostra non est de possibili nec de providentia alia, sed de facto et providentia præsentis.

Quoad. 2^{am}. R. 1^o. Quamvis non sit expresse revelatum, et hinc non dica-

tur esse de fide; colligitur tamen ex revelatis, multumque in sacra Scriptura et traditione insinuat.

R. 2^o. N. 2^{am}. p.; quia ex modo providentiæ Dei erga prædestinatos exposito hic actus satis probabiliter colligitur.

Ad Conf. 1^{am}. T. A. N. Cons. Qui primum admittunt, fundamentum desumunt ex S. AUG., qui L. de Corr. et gr. c. 11. *angelos* dicit solum indigere adjutorio sine quo non, hominem autem adjutorio quo; de quibus vid. Tr. de gratia: nullum autem plane fundamentum est pro alia parte.

Ad Conf. 2^{am}. R. N. Cons. Nomine primorum non intelliguntur vocati simul et electi, nec nomine novissimorum vocati tantum sed non electi: sed si sub parabola vineæ et operariorum proponatur Ecclesia, primis Judæi, novissimis gentiles correspondent, ex quibus hi Apostolica prædicatione invitati ad Ecclesiam accesserunt, illis tardantibus vel reuuentibus: si autem admittatur figuratum hic esse regnum cælorum alterius vitæ, primi et novissimi intelligi cum ESPIO possunt respectu hominum et Dei, ita ut sensus sit: multi qui iudicio hominum videntur primi, quales habentur divites, nobiles, et gloria seculari insignes, erunt novissimi iudicio Dei: e contrario multi qui hominum iudicio novissimi videntur, ut pauperes, humiles et persecutionem propter justitiam patientes, primi erunt iudicio Dei.

ARTICULUS II.

AN ET QUOMODO PRÆDESTINATIO SIT CERTA?

219. Dico I. Prædestinatio secundum se est certa, et immutabilis; non imponit tamen prædestinatis necessitatem. Est cont. Pelagianos et Semipelag. etc.

Prob. 1^a. p. Joan. 10. 27. dicit Christus: *Oves meæ vocem meam audiunt... et ego vitam æternam do eis, et non peribunt in æternum, et non capiet eas quisquam de manu mea.* Unde qui non perseverant, non sunt ex numero prædestinatorum, ut 1. Joan. 2. 19. dicitur: *Ex nobis prodierunt: sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* S. AUG. L. de Corr. et gr. c. 7. n. 14. ait de prædestinatis: *Horum si quisquam perit, fallitur Deus: sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus: sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus.* S. FULG. L. 1. ad Monim. c. 12., ubi assert illud ad Rom. 8. *Quos prædestinavit, hos glorificavit*, notat, ab Apostolo usurpatam vocem *glorificavit*, ut significaret prædestinatos certo esse glorificandos, ita scribens: *Quæcumque Deus præscivit, jam facta dicimus, quia de faciendis dubitare non debemus.*

Conf. ratione. Nec decretum Dei potest impediri, cum sit omnipotens: nec præscientia falli, cum sit infinite perfecta; ergo quod Deus decrevit ac præscivit, certissimum est. Sed Deus decrevit ut prædestinati sint beati, illudque futurum præscivit; ergo istud est certissimum, et hinc prædestinatio etiam est certissima; quia hanc esse certam quoad se nihil aliud est quam objectum ejus esse certum.

Prob. 2^a. p. Apostolus ad Rom. 11. 29. ait: *Sine poenitentia sunt dona et vocatio Dei; et 2. ad Tim. 2. 19. Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: cognovit Dominus, qui sunt ejus: S. PROSP. in resp. ad*

object. 12^{am}. Vincent, inquit : *Prædestinatio etsi apud nos, dum in præsentis vite periculis versamur, incerta est; apud illum tamen qui fecit quæ futura sunt, incommutabilis permanet* : tum quia prædestinatio nec est mutabilis respectu Dei, quem supra in decretis suis absolutis et efficacibus ostendimus omnino immutabilem : nec respectu hominum electorum, cum hi, supposito Dei decreto, infallibiliter gloriam consequantur.

Prob. 3^a. p. Quia imprimis duo hæc de fide certa sunt, nempe hominem esse ac manere liberum, et Deum aliquos ad gloriam prædestinare : deinde quia necessitas nec imponitur ratione præscientiæ, tanquam consequentis vel speculativæ; nec ratione decreti, utpote scientiam mediam saltem supponentis; nec ratione mediorum, scilicet gratiarum ex natura sua cum effectu minime conjunctarum.

220. Dico II. Prædestinatio non est certa quoad nos; seu nemo sine peculiari revelatione potest esse certus de sua prædestinatione.

Prob. contra Calvin. etc. SCRIPTURA 1^o. istam incertitudinem expresse declarat, Eccle. 9. 1. *Nescit homo utrum amore an odio dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta*; et 1. ad Cor. 10. 12. *Qui se existimat stare, videat ne cadat*. 2^o. eandem supponit, quia ad timorem hortatur Psal. 2. 11. *Servite Domino in timore*; ad Rom. 11. 20. *Tu fide stas, noli altum sapere, sed time*; et ad Philip. 2. 12. *Cum metu et tremore vestram salutem operamini*. 3^o. eam proponit in exemplo prædestinati, nempe S. Pauli, qui 1. ad Cor. 4. 4. ait : *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum*; et 9. 27. *Corpus meum in servitutem redigo, ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar*. C. TRID. Sess. 6. cap. 12. ait : *Nemo, quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinæ prædestinationis mysterio usque adeo præsumere debet, ut certo statuat se omnino esse in numero prædestinatorum*; quæ verba ex L. de Corr. et gr. c. 13. n. 40. S. AUC. desumpta sunt : et ibid. Can. 16. sic definit : *Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certo habiturum absoluta et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anathema sit*. S. HIER. in c. 26. v. 15. Ezech. ait : *Omnes infirmo et imbecillo statu fluctuantique vestigio in isto seculo commoramur, et nunquam est nostra certa, securaque victoria*.

Conf. Certitudo illa vel foret prædestinationis in se cognita, vel cognita per aliud : non prius, cum nemo penetret ad prædestinationem in se, quæ, sicut omnia Dei judicia, incomprehensibilis dicenda est : non posterius, quia id vel per fidem vel per scientiam pateret : non autem per fidem, quia in cit. TRID. Can. 15. sic statuitur : *Si quis dixerit, hominem renatum et justificatum teneri ex fide ad credendum se certo esse in numero prædestinatorum; anathema sit* : neque per scientiam, cum nullum detur medium sive a priori sive a posteriori, quod prædestinatum in certam notitiam suæ prædestinationis deducat. Accedit quod decebat hominibus talem futuræ felicitatis spem præcipi, quæ simul anxietatem et timorem incuteret; ut cum metu et tremore salutem propriam operarentur, et gratiæ dona non parvi penderent superbiendo, sed extimescendo custodirent.

221. Obj. cont. 1^{am}. 2. Petri 1. 10. dicitur. *Satagite, ut per bona opera*

certam vestram vocationem et electionem faciatis; ergo prædestinatio de se non est certa. Conf. 1. Paulus 1. ad Cor. 9. supr. cit. timebat, ne, cum aliis prædicasset, ipse reprobus efficeretur; 2. Christus, Joan. 17. 12. ait : *Quos dedisti mihi, custodivi; et nemo ex eis perivit, nisi filius perditionis*; ergo potest prædestinatio carere effectu, imo de facto caruit in Juda; atque hinc non est certa. 3. Possibile est prædestinatum peccare lethaliter, et in peccato mori; et Deus potest non prædestinare quem prædestinavit; ergo.

R. N. Cons. Quia verba PETRI vel intelligenda sunt primario de electione absoluta ad fidem et gratiam; secundo autem et consequenter de electione ad gloriam sed conditionata; ita ut sensus sit: *Satagite, Christiani, ut electionem vestram ad gratiam et fidem per bona opera stabilietis, ne excidatis ab ea, sed in ea perseveretis*; sic enim certam facietis electionem vestram ad gloriam; cum hoc ipso quod sitis facti fideles et justî, destinati sitis ad gloriam, non quidem absolute sed conditionate, si in gratia accepta ad finem usque persistatis : vel intelligenda sunt de electione Dei ad gloriam in se quidem certissima, incerta autem nobis et aliis; ita ut jubeat PETRUS satagere et bona operari, ut ipsis operantibus certa et comperta sit electio ad gloriam, ut exponunt BEDA, LYRANUS, HUGO et alii.

Ad Conf. 1^{am}. R. D. A. Timebat, quod ignoraret an esset prædestinatus C. quod non crederet certam esse apud Deum prædestinationis sententiam N.

Ad Conf. 2^{am}. N. Supp. Cons. Judas enim non erat ex prædestinatis seu iis, quos tanquam suos et electos Pater Filio dederat, juxta illud Joan. *Non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum*.

Ad Conf. 3^{am}. R. D. A. In sensu diviso et antecedenter C. in sensu composito et consequenter, vel posito quod sit prædestinatus N.

Inst. 1. Apoc. 3. 11. dicit Angelus : *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam*; in quem locum S. AUC. L. de Corr. et gr. c. 23. n. 39. ait, *quod alius non est accepturus, nisi iste perdidit*; ergo potest acquiri et perdi corona, quæ est prædestinationis effectus; ergo prædestinatio non est certa et immutabilis.

R. D. Cons. Potest acquiri et perdi corona, eandem sumendo pro gratia sanctificante vel virtute, ut hic accipitur pro fidei obedientia et constantia in bono, secundum contextum C. eandem sumendo pro gloria cœlesti subd. in quantum præcise corona hæc nostra est ex merito C. in quantum ex prædestinatione N. S. THOM. p. 1. q. 23. a. 6. ad 1. ait : *Dicendum, quod corona dicitur alicujus esse dupliciter : uno modo ex prædestinatione divina, et sic nullus coronam suam amittit : alio modo ex merito gratiæ (quod enim meremur, quodam modo nostrum est) et sic suam coronam aliquis amittere potest per peccatum mortale subsequens. Alius autem illam coronam amissam accipit, in quantum loco ejus subrogatur etc.*

Inst. 2. Prædestinatio re idem est ac liber vite, in quo scripti sunt electi : sed ab hoc libro deleri possunt qui sunt inscripti : Ps. 68. 29. *Deleantur ex libro viventium, et cum justis non scribantur*; Exod. 32. 32. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti*; ad Rom. 9. 2. *Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis*; ergo. Conf. Prædestinationem esse mutabilem probat vulgatissimum AUC. proloquium : *Si non es prædestinatus, fac ut prædestineris*; item sententia AMBR. dicentis : *Novit Dominus mutare sententiam, si tu noveris mutare*

delictum; denique Ecclesiae oratio precantis: *ut liber vitae praedestinatorum nomina adscripta retineat*; ergo.

R. C. M. si intelligatur de libro vitae respectu gloriae et quidem absolute; potest enim sumi etiam respectu gratiae, imo vitae temporalis, et hoc sensu N. min.

Ad prob. R. In primo textu, ubi Propheta non exponit votum, sed quid persecutoribus suis, nisi respiciant, futurum sit praenuntiat, intelligitur liber vitae ad gratiam, non autem ad gloriam saltem absolute; ut sensus sit: Persecutores, qui sub conditione seu per gratiam ordinati erant ad gloriam, excident a gratia, et sic delebuntur de libro ad gratiam, et consequenter non referentur in numerum salvandorum. In secundo textu sermo est de libro vitae temporalis; quia Moyses in gratiam et salutem populi Israelitici paratus erat devovere vitam suam propriam, ut in simili occasione expressit Numer. 11. 15. dicens: *Obsecro, ut interficias me, et inveniam gratiam in oculis tuis*. Si vero intelligatur etiam liber vitae ad gloriam, Moyses sic loquebatur petendo rem, quam noverat impossibilem, vel ex quadam animi confidentia, et tanquam securus de divina misericordia, ut explicat Aug. q. 147. in Exodum; vel ex nimio compassionis affectu, ut Hier. ep. 12. (al. 128. n. 4.) exponit; vel ex quodam amoris erga populum excessu, ut vult Abulensis cum aliis. In tertio textu vel idem excessus amoris intelligitur, vel Apostolus non optat sui damnationem, sed esse maledictum, seu omnibus hominum execrationibus onerari, dum salvum faceret populum suum.

Ad Conf. R. N. A. Auctoritates allatae omnes non pertinent ad electionem jam factam et voluntatem Dei consequentem ac absolutam, quasi haec etiamnum dependeret ab aliquo, quod incertum sit, et proin et ipsa sit incerta et mutabilis; sed ad electionem quasi faciendam seu voluntatem Dei antecedentem et conditionatam: quatenus ostendunt electionem non fieri ex meritis, atque ideo laborandum iis qui eligendi sunt, neque eorum electionem certam esse pro priori quam praevideantur laboraturi.

Inst. 3. Si praedestinatio est certa et immutabilis, hominis meritum et salus erit necessaria, tum quia causam certam et infallibilem sequitur effectus necessarius; tum quia praedestinatio includit efficacia et infallibilia salutis consequendae media; tum quia supposita praedestinatione (uti de facto semper potest ac debet supponi) non potest quis damnari, adeoque libertatem non habet, ut damnetur.

R. D. Ass. Si praedestinatio est certa et immutabilis ex decreto Dei absolute et antecedente libertatis humanae vel meritorum praevisionem C. si ex decreto supponente ac consequente hanc praevisionem *subd.* merita et salus erunt necessaria necessitate consequente vel consequentiae C. necessitate antecedente vel consequentis N.

Ad prob. 1^{am}. R. Similiter. Ad 2^{am}. D. Praedestinatio includit media infallibilia infallibilitate absoluta et intrinseca N. extrinseca et orta ex infallibili Dei scientia liberum nostrum futurum consensum praesupponente C. Ad 3^{am}. D. Supposita praedestinatione non potest quis damnari impotentia antecedente N. impotentia consequente C. vel *subd.* in quantum spectatur obiectum hujus potestatis C. in quantum praecise attenditur subjectum et persona N. Cum dicitur praedestinatum posse damnari, sic quidem intelligi nequit quod detur potestas conjungendi praedestinationem cum damna-

tionem; quia haec *simultas* repugnat: recte tamen asseritur quod persona, etiamsi supponatur praedestinata, adhuc vere retineat potestatem peccandi, et in peccato perseverandi si voluerit, quamvis haec potestas nunquam sit reducenda in actum praedestinationi contrarium; tum quia illa suppositio non immutat proprium modum agendi hujus potentiae: tum quia non est simpliciter antecedens, cum non fiat nisi ex praescientia, quod voluntas sit libere operatura, si hoc vel illo modo moveatur.

Inst. 4. Si praedestinatio est fixa et certa, ergo valet illa consecutio *Semipelagianorum*: ex utraque parte superfluum est labor, si neque rejectus ulla industria possit intrare, neque electus ulla negligentia possit excidere; item dilemma illud, quo S. Aug. L. de don. persev. c. 15. quemdam turbatum ita fuisse scribit, ut relicto monasterio ad seculum redierit: vel sum praedestinatus, vel non: si sum; quidquid egero, salvabor: si non; damnabor, quidquid rursus egero. Conf. Ex S. Aug. Deo volenti salvum facere nullum resistere potest humanum arbitrium: Item cum voluerit, necesse erit hominem salvari etc.

R. N. utr. Seq. Nam praedestinatio fundatur in praescientia meritorum gratiae; unde non patitur aliam difficultatem, quam quae ex ipsa Dei praescientia solet objici: ex hac autem necessitate nullam libertati noxiam oriri supra declaratum fuit. Porro falsitas *Pelagianae* consecutionis et *Calviniani* dilemmatis patet tum ex falso supposito quod in eo est, quasi homo vi solius praedestinationis et sine meritis perventurus sit ad salutem; cum tamen ideo aliquis praedestinatus supponatur, quod praevideatur futurus de salute sollicitus, et opera bona positurus: tum ex utroque argumento ad res humanas, ordinarias, temporales ac civiles translato; v. g. Deus praescivit et decrevit, te hoc anno in vivis futurum, agrum tuum fertile futurum etc. vel non? si praescivit et decrevit, haec erunt, sive comedas, sive non, sive seras sive non: si secus; frustra iterum agis omnia.

Ad Conf. R. Liquet ex allatis alibi responsionibus, haec a S. Aug. dicta duntaxat esse ad declarandum quod Deus sit auctor salutis nostrae, habeatque infinitos modos sic vocandi, ut vocatus infallibiliter Deo consentiat; non autem quod voluntatem nostram cogat, aut illi inferat necessitatem.

222. Obj. cont. 2^{um}. SCRIPTURA fidelibus et electis tribuit notitiam praedestinationis certam; 1. Joan. 5. 13. *Haec scribo vobis, ut sciatis quoniam vitam habetis aeternam, qui creditis in nomine Filii Dei*. Ad Ephes. 1. 13. *In quo credentes signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostrae*. 1. ad Thess. 1. 4. *Scientes, Fratres dilecti, a Deo electionem vestram*. Ergo praedestinatio etiam certa est quoad nos.

R. N. A. Ad prob. explico textus sub distinctione. Et quidem Ad 1^{um}. D. Qui credit, habet vitam aeternam inchoatam et in spe C. perfectam et in re *subd.* habet, seu scit absolute se habere vitam N. scit conditionate C. Sicut S. Paulus ad Rom. 8. 24. dicit: *Spe salvi facti sumus*, sic et hic Joannes in spe dicit vitam aeternam adesse credentibus: in re autem vitam aeternam habendam sciri duntaxat conditionate, imprimis ipse *textus* probat, qui sic exponitur: ut sciatis vitam vos habere aeternam, in quantum viva fide creditis, vel si in eadem fide perseveretis: deinde etiam *contactus*; tum quia hoc eodem capite, dum hortatur ad perseverantiam et eam necessariam

docet, eo ipso ostendit certam non esse: tum quia in seq. epist. v. 8. monet credentes sibi cavere, ne decidant a fide et gratia, *Ad 2^{um}*. R. Nihil inde sequi, tum quia potest haberi spiritus promissionis et pignus hereditatis, quin tamen hoc a possidente sciatur, præsertim cum textus non faciat mentionem ejusmodi scientiæ: tum quia, licet habeantur signa et indicia vocationis et electionis ab electis, tamen vel ipso CALVINO L. 3. Inst. c. 24. §. 7. fatente, similia signa non raro apparent in aliis. *Ad 3^{um}*. D. Scientes electionem vestram, quæ est ad gratiam Fidei et Evangelii C. quæ est ad gloriam *subd.* scientes scientia proprie tali sive per fidem sive per certam demonstrationem aut evidentiam N. scientia minus propria, quæ vel habeatur ex conjecturis, vel indicet spem duntaxat et fiduciam C. Vid. Corn. a Lap.

Inst. S. Paulus certitudinem de sua salute sæpius declarat: ad Rom. 8. 16. *Ipsæ Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei.* Et v. 38. *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque angeli... neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei.* Tim. 4. 7. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; in reliquo reposita est mihi corona justitiæ; ergo. Conf.* Possumus esse certi, quod assiduis orationibus et piis operibus simus assecuturi nostram salutem; quia Christus Marc. 11. 24. ait: *Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis*: sed potest quis certo scire se orare; ergo.

R. 1^o. *Tr. A. N. Cons.* Tum quia PAULUS, siquidem hoc scivit, id speciali revelatione didicit, adeoque sub exceptione continetur, quam in assertionis nostræ explicatione adjecimus: tum quia hoc non detrahit ejus testimonii ex 1. ep. ad Cor. allatis; hanc enim ante epistolas tum ad Romanos, tum 2. ad Tim. scriptam esse consentiunt omnes, quantumvis in annis assignandis discrepent.

R. 2^o. *Ad text. 1^{um}*. D. Ipse Spiritus reddit spiritui nostro testimonium quoad se, seu quantum ad effectum C. quoad nos, seu quantum ad cognitionem *subd.* quantum ad cognitionem conjecturalem aut conditionalem tantum certam C. perfectam et convincentem aut absolute certam N. Equidem Spiritus S. inhabitans non datur nisi amicis Dei ac justis, atque hinc ejus præsentia probat justos esse filios Dei, redditque verax testimonium quoad se et effectum: sicut tamen ejus inhabitatio et præsentia non cognoscitur nisi solis conjecturis, sic et testimonium reddit, quantum ad nos, cognitionem duntaxat probabilem et conjecturalem. Præterea cum verbis allatis mox addatur: *Si tamen compatimur, ut et congrificemur*; concedi potest certitudo, sed sub ista conditione, quin tamen inde absolute certi fiamus; cum ipsæ passionem hujus temporis non sint ex se condignæ ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, neque etiam nobis certo innotescat, num eadem a nobis, prout oportet ad salutem, subeantur.

Ad text. 2^{um}. D. Paulus se dicit certum, nomine certitudinis indicando securitatem, aut firmum veritati præstitum assensum N. indicando firmum animi propositum aut spem, persuasionem vel confidentiam C. Postremæ parti fayet vox hic usurpata *πέπεισμαι, persuasus sum*, et S. HIER. in ep. 15. (al. 121.) ad Galasiam c. 9. legit, *confido*; præsertim cum eadem ibid. 15. 14. ab Apostolo adhibita alium sensum non habeat.

Ad text. 3^{um}. D. Asserit sibi repositam esse coronam justitiæ, prodendo hinc certitudinem fidei et revelationis divinæ N. certam opinionem et confiden-

tiam ex memoria vitæ bene actæ, et testimonio suæ conscientie manantem C. Sicut non dixerat ex revelatione, sed ex fiducia bonæ conscientie, se bene certasse, cursum consummasse, et fidem servasse, sic nec illud his innixum aliter asserit.

Ad Conf. R. D. min. Potest quis certo scire se orare et bene agere, prout oportet ad salutem N. secus C. Testante APOST. ad Rom. 8. 26. *Quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed Spiritus sanctus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Idem est dicendum de operibus, quæ an perfecte et in gratia fiant, ignoramus.

223. *Observa I.* Hactenus dicta de eo, quod ordinarie fit, et de certitudine fidei seu perfecta, omnemque hæsitacionem excludente, esse intelligenda. Nam imprimis certam fuisse salutem ex speciali vel privata Dei revelatione B. *Virgini, Latroni felici, S. Stephano*, quibusdam Martyribus et Confessoribus, *Moysi item, Paulo ac Eliæ*, sive ipsæ sacræ Litteræ, sive historia Ecclesiastica, sive communior Theologorum sententia docent. Deinde vero et certitudinem seu *minus perfectam* et cum sollicitudine ac timore quodam ob nonnulla etiam ex parte nostri ponenda conjunctam de prædestinatione dari minime inficiamur: quin et *signa* haberi posse, ex quibus illa *valde probabiliter* cognoscatur, cum SS. Patribus æque ac Theologis assérimus. Ejusmodi autem sunt, quæ octo Beatitudinibus Matth. 5. relatis continentur: quibus additur ardens studium audiendi, legendi, docendi verbum Dei; frequens de Deo cogitatio, terrenarum rerum contemptus, cœlestium amor; cultus Deiparæ specialis, Sacramentorum frequentia, orationis studium; vera humilitas, patiendi pro Christo desiderium ac in perferendo patientia, amor insignis erga Deum et proximum; sollicitudo in minimis, placandi Dei studium, mentis puritas, bene agendi in eo vitæ genere quod eligitur constantia, gratiarum usus et propositum perseverandi usque ad finem; de quibus vide S. BERN. Serm. 2. oct. Pasch. et alios.

224. *Observa II.* Prædestinatorum numerum *ita certum esse, ut nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex eis*, docet S. AUG. L. de Corr. et Gr. c. 13. n. 39. Hunc numerum soli Deo innotescere ostendit Ecclesiæ auctoritas ita precantis: *Deus, cui soli cognitus est numerus electorum in superna felicitate locandus.* Porro quantum determinate futurus sit, definiri non potest. Absolute magnum esse declarant illa Apoc. 7. 9. verba: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus et tribubus et populis et linguis, stantes ante thronum etc.*; compare ad reprobos tamen fore exiguum, satis aperte docuit Christus Matth. 22. 14., Luc. 13. 24. et alibi: subscribunt Patres, præsertim GREG. M. hom. 19. n. 5. in Evang. dicens: *Ad fidem plures veniunt, et ad cœleste regnum pauci perducuntur*; et CHRYS. or. 40. ad Antioch. (al. hom. 24. in act. apost. n. 4.) *Quot putatis esse in civitate nostra, qui salvi fiant?.... non possunt in tot millibus inveniri centum, qui salventur, quin et de his dubito*: Confirmat ratio ex partium enumeratione; quia ante Christum natum totus fere mundus fuit infidelis, post Christum adhuc pars mundi major jacet in infidelitate: inter Christianos multi sunt hæretici et schismatici: inter fideles improbi multi. Sunt

tamen, qui e Christianis plures salvari conjiciunt, siquidem parvuli una cum adultis numerentur: sed nec hoc definiri certo potest.

ARTICULUS III.

AN EX PARTE PRÆDESTINATI DETUR CAUSA PRÆDESTINATIONIS AD GLORIAM?

225. *Nota.* Prædestinatio ad gratiam an et quomodo sit gratuita, abunde constat ex Tract. de *Grat. et Merito*. Itaque hic duntaxat quæstio est: an prædestinatio ad gloriam fiat ex prævisis meritis? In hoc autem non agitur 1º. de gloria præcise, ut est hæreditas et competit parvulis, sed ut est corona et competit adultis, quibus æterna salus, non solum ut hæreditas, sed etiam ut præmium meritorum supernaturalium confertur: 2º. nec de prædestinatione in ordine executionis, sed intentionis spectata: neque 3º. de intentione gloriæ conditionata et inefficaci, cum hæc concedatur ab omnibus esse prior meritis et prorsus gratuita; sed de intentione absoluta et efficaci: nec 4º. de meritis tantum conditionate futuris, sed de prævisis meritis absolute futuris: nec quomodo possit a Deo prædestinatio fieri ad gloriam, sed quomodo fiat in præsentia providentia.

Porro in hac controversia, quæ inter Catholicos tantum agitur, triplex est sententia; 1ª. eorum qui prædestinationem hanc statuunt esse mere gratuitam, et antecedere prævisionem meritorum; 2ª. eorum qui æstimant absolutam prædestinationem ad gloriam fieri ex vel præsupposita meritorum gratiæ absolute futurorum prævisione: 3ª. media est eorum qui vel nullum agnoscunt ordinem prioritatis et posterioritatis, etiam secundum rationem, inter prædestinationem ad gloriam et gratiam, et ad utrumque hoc objectum simul fieri contendunt prædestinationem; vel distinguunt duplicem salvandorum ordinem, unum scilicet insigniorum, quorum prædestinatio præcedat meritorum prævisionem, alterum reliquorum electorum, quorum prædestinatio non fiat nisi ex prævisis meritis; vel volunt, prædestinationem quidem esse posteriorem alicui merito supernaturali, et sic non penitus gratuitam, non tamen esse posteriorem omnibus meritis, sed aliqua eorum maxime perseverantiam præcedere.

226. *Dico.* Datur ex parte nostri causa prædestinationis ad gloriam; seu in præsentia providentia efficax et absoluta ad gloriam ut coronam prædestinatio hominum, a Deo est post prævisa gratiæ merita absolute futura. *Ratio* est; quia hæc sententia videtur conformior Scripturis, SS. Patribus et Rationi.

Prob. ex Scriptura. I. Matth. 25. 34. Christus dicit se in die iudicii electos sic allocuturum: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi: esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere etc.* Ex his sic arguitur: Regnum cælorum præparare propter opera misericordiæ, est decernere gloriam ex meritis, seu ad eam prædestinare post prævisa merita: sed verba laudata manifeste expriment, Deum præparasse gloriam hominibus propter eorum opera misericordiæ, ut ex particula causali *enim* liquet; ergo.

Respondent quidam his verbis significari duntaxat actualem executionem et causam, cur actu conferatur gloria, non autem cur his potius quam illis gloriæ sit parata; alii per præparationem volunt intelligi decretum execu-

tionis tantum seu voluntatem actualiter conferendi gloriam in tempore, non autem decretum intentionis, seu voluntatem efficacem ut quis simpliciter perveniat ad gloriam.

Sed *contra* 1º. est 1º. quod Christus *ibid.* v. 41. ad reprobos dicturus legatur: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus: esurivi enim, et non dedistis mihi manducare etc.*; ubi cum infernus reprobis non tantum tribuatur, sed et paratus sit, æque ac diabolo et angelis ejus, quos reprobi male agendo imitati sunt, non potest dici, illis tantum actu conferri ob demerita, et ex sola Dei voluntate præparatus esse infernus: unde paritas pro priori sententia pugnat. 2º. Quod S. CHRYS. hom. 80. n. 2. in Matth. textum sic exponat: *Possidete hæreditate quasi propria, quasi paterna, quasi vestra, quæ vobis a principio debebantur; nam antequam nati sitis, quia sciebam vos hujusmodi futuros, hæc a me præparata fuere;* et HIER. in Matth. loc. cit. hæc verba observet esse accipienda secundum præscientiam, adeoque iis rationem præparationis contineri, dicens: *Hoc juxta præscientiam Dei accipiendum, apud quem futura jam facta sunt.* 3º. Quod Christus in sua sententia judiciali referens merita et demerita velit afferre rationem æquitatis sententiæ pronuntiatae; si autem hæc referrentur ad solam collationem, non autem ad præparationem gloriæ vel pœnæ, ratio ista non sufficeret; unde cum Apostolus 2. ad Tim. 4. 8. dixit: *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in die illa justus Judex;* non tantum in collatione, sed et in destinatione justitiam expressit; cum coronam repositam hic idem sit ac præparatam, ut ex 1. ad Cor. 3. 9. constat.

Contra 2º. est 1º. quod illa distinctio inter decretum intentivum et executivum non habeat locum in prædestinatione siye ad gratiam siye ad pœnam, adeoque nec in prædeterminatione ad gloriam, cum S. AUG. de præd. Sanct. c. 10. n. 19. dicat: *Inter gratiam porro et prædestinationem hoc tantum interest quod prædestinatio est gratiæ præparatio, gratia verò jam ipsa donatio;* neque destinatio ignis æterni, qui dicitur *paratus diabolo et angelis ejus*, possit accipi secundum diversitatem decretorum aut habere diversam causam pro hujusmodi decretis forsitan permissis. 2º. Quod gloria hic sumatur, prout adultis confertur ut *corona justitiæ*: sed sic nequit decerni ac intendi nisi suppositis meritis; cum natura mercedis et coronæ æque necessaria supponat merita, ac supplicium demerita, non tantum in ordine executionis, sed et in ordine intentionis. 3º. Quod ad ostendendam sententiæ æquitatem, et specialem electorum præ reprobis laudem ac gloriam declarandam, male supponatur absolute et efficaciter fuisse antecedenter intentam electis gloriam; cum principalis causa tum præparatæ tum collatæ gloriæ, et cui reliquæ prædestinationis causæ quodammodo famulantur, non staret in justitia iudicis et meritis Beatorum, sed in arbitraria tantum electione prædestinantis. Adde plures *parabolas*, operariorum in vinea Matth. 20., currentium in stadio 1. ad Cor. 9., servorum vigilantium Luc. 12., talenta impendentium Matth. 25., et virginum cum lampadibus accensis occurrentium *ibid.*; quibus declarabat Christus, quod sicut paterfamilias denarium, agonotheta bravium, dominus favorem et promotionem, et sponsus nuptias absolute et efficaciter non decreverint, antequam opus